

*Plenaria indulgentia conceditur christifideli qui*

*1° Rosarium mariale pie recitaverit in ecclesia aut oratorio,*

*vel in familia, in religiosa Communitate,*

*in christifidelium consociatione et generatim cum plures*

*ad aliquem honestum finem conveniunt;*

**2° eiusdem precis recitationi, dum a Summo Pontifice peragitur, et ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatur, sese pie univerit.**

**In aliis rerum adiunctis  
vero indulgentia erit partialis.**

*Est Rosarium certa precandi formula, qua quindecim angelicarum salutationum decades,*

*oratione dominica interiecta, distinguimus et ad earum singulas totidem nostrae reparationis mysteria pia meditatione recolimus.*

*Quoad indulgentiam plenariam pro recitatione Rosarii marialis haec statuuntur:*

*a) sufficit recitatio tertiae tantum eius partis; sed quinque decades continuo recitari debent;*

*b) orationi vocali addenda est pia mysteriorum meditatio;*

*c) in publica recitatione, mysteria enuntiari debent iuxta probatam loci consuetudinem; in privata vero recitatione, sufficit ut christifidelis orationi vocali adiungat meditationem mysteriorum.*